

dentium ariditatem, nullum laborum livorem, nullum vultus pallorem, nullum languorem, nullumque lethale signum præ se ferens. Illuxit interim festa Sanctis omnibus solemnitas, quam cum mira animi lætitia exegisset, et convocatis cœnobitis suo satisfactum divinitus desiderio, quo deedere illi ambierat, dixisset, pollicitus, eorum se memorem in cœlo futurum, impertitus eosdem benedictione, secundum noctis medium anno Christiano 1448, ætatis vero suæ quarto et quinquagesimo feliciter expiravit, loco, dieque, quem sibi delegit, ac prædixit. Restitit sopito, quam mortuo similior, vultuque adeo nitido, sereno, Angelico, ut morte plus formositatis accepisse videretur. *Ibid.*, 3 nov.

Sanctus Carolus Borromæus, cardinalis et archiepiscopus Mediolanensis decurso augustissimo vitæ stadio, triumphatis vitii, coquisitis ad unam omnibus masculis nobilissimisque virtutibus (eas quippe Beatus Archiepiscopus, quo satis muneri suo pastoralis faceret, prosequutus fuit) non potuit enim vero alium sibi finem, quam longæ seriei sanctissimarum actionum debitum polliceri. Quamobrem propinquantem obitus hora, quasi eam præsasisset, visitato primum devotionis, ac reverentiæ indicibili affectu Jesu Christi Redemptoris nostri sacrosancta syndone, montem Varallum adiit prope Novariam, Coram sepulchro, quod ibi visitur Servatoris nostri, quindecim dies insumpsit asperrimis poenitentiae operibus, vigiliis, oratione: et animam cœlesti gloriæ per generalem totius vitæ confessionem, testibus suspiriis, et profluvio lacrymarum aptavit. Et si vero tertia febrî correptus esset, scilicet mortis nuncia, nequaquam tamen intermisit sancta exercitia (sed tantum moderatus fuit) aut quotidianum Missæ sacrificium, quia totis præcordiis ad supremam rerum experientiam anhelabat. Hinc deinde iter flexit Aronam versus, et ingressus lacum majorem, contendit Asoniam in dominio Helvetiorum, ut ibi collegium quoddam studiorum adolescentum nutu Summi Pontificis ordiretur. Ubi vero ingravescere morbum sensit, inunctanter cepit Mediolanum regredi, et totum perfectionis tempus exercitiis spiritualibus fefellit, utpote orando, naucleros ad portum perennis patriæ dirigendo, inflammando socios, et vectores omnes, qua pollebat ardentissima charitate, ad supremam felicitatem: idque

sermonibus de gloria Beatorum, adeo ignitis et penetrabilibus, ut ex oculis auscultantium manantes lacrymæ corda eorum intus vulnerata probarent. Mediolanum impulsus circa vesperam Commemorationis Fidelium animarum altera die quæ fuit tertia Nonas Novembris anni 1584, ubi eam colloquiis apprime salutaribus traduxisset, sub tertia noctis horam, perceptis admiranda devotione, et profundissimo humilitatis sensus Ecclesiasticis Sacramentis, oculis in pictura sepulture Christi mortui defixis, coopertus cilicio, aspersus cinere, velut alter Martinus, cujus virtutes sollicite vivens sectatus fuerat, tranquillissimo omnium membrorum situ dilectam Deo animam consignavit, ultimo anno Pontificatus Gregorii decimi tertii, ætatis suæ quadragesimo septimo. Difficile dictu est, sanctissimi Pastoris inopinata mors, quem lætum, que lamenta, quos gemitus inter inopes pariter et opulentos pepererit. Deplorabat Ecclesia vigilantem Episcopum, tribunal incorruptum iudicem, pupilli strenuum defensorem, egeni liberalissimum Mæcenatem; breve faciam, universa tribuatur civitas, quia neminem in tanta hominum frequentia invenire erat, quem non Cardinalis Carolus aut reduxisset errantem, aut sustentasset debilem, aut rudum imbuisset scientia salutis, aut inopem atque afflictum more medici, et patris optimi restaurasset. *Ibid.*, 4 nov.

Sanctus Franciscus Salesius Episcopus Genevensis cum in morbo extremo constitutus esset, et quæsitus ex eo fuisset, num pharmaci nescio quid haustus lubenter esset, et num ignium vim, novaculaeque sentiret, quibus corpus lacinabatur? « Sentio enim vero, inquit, verumtamen agrum habete, ut lubebit. » Quod si ad ista sensus supererat, omnino confirmare possumus, illum etiam tum longe vehementius ignes persensisse divinos, quorum vis adiebat ad pia suspiria, et ex ejus ore verba eliciebat plena charitatis tum erga eos, qui opem ferebant, tum erga eos, qui officii causa alii ex aliis adventabant. Rectori Collegii Societatis Jesu, miranti, miserantique vim morbi tam inexpectatam tamque repentinam: « Expectans, inquit, expectavi Dominum, et intendit mihi. » An non vero, perrexit Rector idem, si Domino Deo visum esset te in præsentia evocare, voluntatem tuam ad ejus beneplacitum conformares? « Tam mihi

accepta, subjecit Religiosus æger, hæc hora, quam alia quævis; Dominus est, faciat, quod bonum est in oculis ejus: de me statuat, ut sibi placuerit, quidquid sancta ejus dextera porrexerit, æquo animo excipiam, et lubenter. » Atque hic professionem fidei emisit, eaque absoluta, addidit de suo hæc: « Si mille essent in terris religiones, ego unam, et solam approbo Catholicam, Apostolicam, Romanam: atque in ea profutenda emori volo, quascumque tandem in contrarium suggestiones adversarius immiserit. » Hortanti idem, ut illud Christi Domini usurparet: « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste; » subjecit: « Non sicut ego volo, sed sicut tu: » addiditque: « Ex quo tempore Salvator meus calicem cruciatum, et mortis in passione bibere animum induxit, calix idem, ad electos quod attinet, suavitate et consolatione plenus est, nec quidquam habet amaroris. » Quæsit idem Rector: Numnam sanctissima Trinitati dedicare se vellet? Atque hic æger ardorem intendens, totusque charitate æstuans hæc firma voce pronuntiavit: « Quidquid in me est, voleo et consecro Deo, memoriam factaque Patri; intellectum, cogitationes, verba Filio; voluntatem, affectusque Spiritui Sancto; cor, corpus, linguam, sensus, dolores omnes meos sacrosanctæ humanitati Christi Jesu, qui mea causa non dubitavit prodi, trahi in manus iniquorum, et crucis subire tormentum. » Interea rumor de instante morte Francisci, omnium animos incredibili more opplevit: ac Vicarius quidem Generalis Illustrissimi Archiepiscopi Lugdunensis ejus causa Orationem dixit horarum quadrangula, sanctissimo Sacramento exposito: et quoniam gravissimo sopore deprimebatur æger, ad eum excitandum varii varia percontabantur, quibus ille sic satisfaciebat, ut non aptius vigil quilibet, et facultatum animi sui plane compos mirabilem quemdam in modum sui erat: neque enim ejus amorem ad æternitatem tendentem intercipiebant lethalia illa symptomata, quibus corpus atterebatur: animus in res cœlestes erectus, aut, ut dicamus aptius, Spiritus Dei, quo agebatur sancta quadam metamorphosi rerum omnium creaturarum voces mutabat in sonos, quos facile ardens ejus charitas intelligentia comprehendebat. Cum sacerdos quidam ex venerabili Patrum Fuliansium Ordine suggestisset, futurum forte adhuc, ut in throno Genevensi sedens cerneretur:

« Ego, inquit, numquam concupivi thronum Genevensium; unam salutem eorum expetii. » Quærenti alteri num sic carissimas filias suas Ordinis Visitationis orphanas relinqueret; ter illud Sancti Pauli iteravit: « Qui cepit opus perficiat. » Famula autem quædam monialium Ordinis ejusdem, earum, quæ ultra citroque mandata, responsaque perferunt, rata exhilaraturam se officioso mendacio ægrotum, nunciavit adesse Illustrissimum Episcopum Chalcedonensem, cum Joanna Fremiorta. At his collectis in exclamationem viribus: « Neutiquam, inquit, soror mea: numquam plane mentium, quidquid demum incidit. » Item ab alio quopiam invitatus, ad illud Sancti Martini usurpandum: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non reuso laborem; « At ego, dixit pluries, servus maxime inutilis sum. » Atque hic demum medici ipsum sensum defecere, atque adeo abesse proxime ab exitu conspiciati, tempus esse pronuntiatur Sacramentum Extremæ Unctionis, quod jam petierat, adhibendi: id vero dum sit, ipse qui inungebatur, respondens ad singula, fecit, quod in se fuit ad indulgentiam eo in articulo solitam proponi, lucrandam pie et religiose: tum illud Psalmographi adiecit: « Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. » Sacrosancto corporis viatico incredibili suo dolore caruit, ob crebram vomitionem: quo quidem incommode vix accidere quidquam gravium tunc potuit viro sancta dilectione æstuantis. Unde voces eæ, quas tunc mittebat, dolore et amore permixtæ: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me; reinit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum. » Et Archiepiscopo Damasceno, profertenti advenisse se, ut frater ferret, illudque Salomonis afferenti: « Opa, qui juvatur a fratre, quasi civitas firma; » subjecit æger: « Et utrumque Dominus salvabit. » Perrexit Archiepiscopus: « Jacta super Dominum curam tuam. » Et confertim deinceps: Cor meum, inquit, et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Misericordias Domini in æternum cantabo. Quando veniam, et apparebo ante faciem Domini? indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. » Interea cum didicisset Dux Memorosius, qui ex podagra decumbebat, Genevensium Episcopum in extremis versari, jussit se ad eum deportari:



et ubi ad lectum pervenit, provolutus continuo in genua, lacrymasque perfusus, sibi ut benediceret, itemque filio, Principi Genevensi flagitavit. Fecit Franciscus, ut potuit, brachium efferens et extendens : sciscitantibus quibusquam, num eum Principem agnosceret? « Agnosco, inquit, Dux Nemosiosus est; ego illius cliens sum. » Advenit postmodum Archiepiscopus Ebedunensis, invenitque occupatum prorsus in Deo : hæc inter cætera audivit, ingenti quodam mentis ardore ingeminantem : « Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus; Deus meus et omnia : Desiderium meum, desiderium collium æternorum. » Addidit deinde sancto quodam impetu Trisagium : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; pleni sunt cæli et terra Majestatis gloriæ tuæ. » Hymnumque reliquum gratiarum actionis prosecutus est; tum adjunxit Psalmum quinquagesimum que gratiarum actione ex imo corde proficiscente, de beneficiis omnibus, quæ Dominus Deus in se contulisset. Post amicorum ejusdam adstantis manumprehendens, stringensque, « advesperasce, inquit, et inclinata est jam dies. » Et querenti ex ipso cuppiam, timeretne eo extremo momento demonum conatus : « In Domino confido, subjecit, ipse deducet de fovea laquei. Qui cepit, perficiet; » quas voces cum ingeminaret, ad animæ usque interclusioem, vox denique eum deficit, Sacrum Nomen Jesu finientem : clausula utique tanta virtute digna : ut quo modo infans linguam primum in ea voce solvit : « Deus meus, » sic vivere desiderit in Jesu Nomine : quasi voce illa priori agnoscere principium suum; posteriore Redemptorem veneraretur; mox siquidem inter Sanctorum Litanias, quæ a circumstantibus recitabantur, ubi ad illa verba ventum est, « Omnes Sancti Innocentes, » dum iterantur tertium, beata illa anima corpore soluta est, sidusque illud militantis Ecclesiæ extinctum terris, micare celo cepit, ubi radii gloriæ, ad quam evectus est, nullam unquam defectionem patientur. Obiit anno sæculi hujus secundo et vigesimo exeunte, 3 kalendas junii, hora 8 vespertina, anno ætatis 56, Episcopatus 20.

Vita, p. V, c. x.

Alanus de Solmini ac Episcopus Carducensis nulla infirmitate fuit correptus, quæ præcursor mortis esset, ex mera virium imbecillitate, roborisque defectu hunc mun-

dum deseruit, continui labores, jejunia, vigilia, aliæque mortificationes eum ita debilitaverunt, ut sibi ipsi vix amplius hæreret, nihilominus mutuat e sua imbecillitate robore 6 idus septembr. anno 1659, visitationem in Figea, censi tractu reassumens, magno animo munus suum peragebat, prædicabat ubique, Confirmationis Sacramentum conferebat, Congregationibus Foraneis assidebat, et reliqua non aliter perficiebat, quam si in primo vigore esset. Nemo non judicabat, eum nec diu ita perseveraturum, nec longius vitam suam protracturum; ipse solus hoc seare dissimulabat, ita nimirum ad labores incumberebat. Rogatus fuit, ut parum illud virium, quod superesset, Dei servitio dicaret, et aliquantulum a labore remitteret; verum cum vigor spiritus, carnis infirmitatem fortiter sustentaret, anima nullam ejus imbecillitatis curam habente, nihil hoc esse dicitabat; fateri tamen denique coactus fuit, haud amplius loqui se posse, eaque propter in sui locum unum e Missionariis substituit qui in Ecclesiis, quas lustrabat, concionaretur. Viribus tandem adeo defecit, ut ad aram faciens, quinque subinde, vel sexies considerare debuerit; et qui in comitatu erant, formidant ne porro Cadureum visurus esset : certe reapse desiderabat ipse, visitationi immori, et centies iterabat, tali morte nihil honorabilis Episcopis accidere posse. Ut ergo animadverfuit, se plane deficere, quo minus amplius gregi suo deservire queat, sub medium octobris se Mercesium deduci curavit, quo etiam hic fortissimus athleta e medio certaminis palmis ac lauris onustus, laboribusque exhanstis translatus fuit. Cum in arce sua existeret, vires magis ac magis ipsum defecerant, quo tamen nihil prohibente eximiam vultus hilaritatem, quam alias unquam præ se ferebat, ne filios contristaret, et singulis diebus usque ad Festum Dei Parentis sine macula conceptæ Missæ Sacrificium peregit. Post hunc vero diem ob sacri Mysteriorum reverentiam non amplius ausus est ad aram accedere, quod pedibus insistere nequirit; interim vero non omisit, quin in dies in Sacrarium domesticum se conferret, ibidem sacra Synaxi reficiendus, quamdiu videlicet pedes promovere posset; quinimo cum eo forte pergeret, lapsus oculi dextri pupillam læsit. Difficiliter admittebat, ut in suo cubiculo altare erigeretur, assensit vero denique dicens : « Episcoporum cubicula

Sanctitatis esse Sanctuaria, » et hoc quinque circiter diebus ante mortem accidit, sub quibus ad suppedaneum Altaris sacram Communionem sumpsit, nec ullum Sacrum audivit, neque SS. Sacramento in strato suo refici voluit, nisi eo die, qui ipsi supremus illuxit. 3 kal. januarii die vitæ ipsius penultimo sub vesperam plane defecerat, etsi nullum sentire dolorem; utque impediretur Canonicum Officium recitare, quod hæctenus nunquam intermiserat. Breviarium ipsi subducendum fuit; insisterunt deinde sui, ut lectum peteret, et quieti tantisper indulgeret, attento, in quo versaretur, statu; respondit ille : « Facite, quod vobis libet, neque enim propriam voluntatem amplius possideo. » Sustinere noluit, ut vestibus exueretur, dicens, eas ob longam consuetudinem sibi nec quicquam incommodo futuras; et certe quadraginta annis in lectum concedens vestes nunquam exiit; verum a R. P. Dumas Secretario admonitus, quod, cum propria voluntate careret, æquum esset ut alterius sequeretur; obsecutus illas deposuit. Sub noctis medium animadversum est, eum ad extrema devenisse, unde significatum ipsi fuit, jamjam imminere mortem quod nuntium gaudio singulari perfusus exceperit, volensque linteamine faciem sibi cooperiri, Sanctissimam Triadem invocavit, animam suam tribus Divinis Personis consignans, ut eas æternum adoraret, glorificaretque indistincte, hæc ex ejus ore verba prodierunt : « Sanctissima Trinitas, tibi animam meam commendo; Sanctissima Trinitas, miserere animæ meæ; Sanctissima Trinitas, tibi animam meam dono. » Post hæc conatus est omnia vitæ momenta, quæ adhuc supererant, bene collocare. Unum suorum Canonicorum Regularium proxime monuit, ut hora quarta matutina se confitentem audiret, et deinde Missam legeret; verum tantum temporis expectare noluit, nam una post hora, exomologesi ordinaria expiavit animam; hæc Missa subsecuta fuit, sub qua SS. Sacramentum per modum Viatici recepit; Patri illud non nisi modo ordinario ministrare volenti semel iterumque dixit : « Per modum viatici, per modum viatici, » maximum æternitatis iter mox se ingressurum probe gnarus. Facta gratiarum actione confessionem generalem de tota vita, licet ceteroquin innocentissima instituit, memor illius, quod S. P. Augustinus dicebat, ne sanctissimos quidem ex hac vita discedere

deberet, quin prius convenientem penitentiam egisset. Paulo post declaravit, qua ratione bona sua temporalia pro suis foundationibus perficiendis applicanda essent, et expresse voluit, ut quidquid haberet supellectilis, ad utriusque sexus orphanos pertineret : quo sic ordinato se non amplius ejusdem dominum considerans ad Matrem Superiorem puellarum orphanarum misit, linteum per eleemosynam rogaturus, in quo tamquam Christi pauper terræ mandaretur. Consignata Sanctissimæ Trinitati anima sua suisque bonis pauperibus transcriptis, non aliud ipsi superfluit, quam corpus, quod filiis suis Canonicis Regularibus Cadurci a se fundatis reliquit, et Priori injunxit, ut eum sine pompa velut simplicem Religiosum sepelirent, damnans exemplo suo plures mundanos, qui post mortem quoque factum suum continuantes honorem quaerunt in funeralibus; quæ omnes mundi honores claudunt, voluntque splendide eum in locum deportari, ubi putredine consumendi sunt. Cum ita rebus omnibus sancte providisset, non sine fervore Yatis Regii Psalmum intonuit : « Misericordias Domini in æternum cantabo, » prolestem illam Jerusalem, quo spiritus prolestat, sibi ob oculos ponens, in qua uti Rex ille Sanctus dixit, æquum est, ut hymni ad Dei gloriam decantentur, nostraque illi vota persolvantur. Hæc eadem verba crebrim repetebat, non sine manifesto cordis sui jubilo, ardentissimoque desiderio quo unice ad unionem cum summo bono anhelabat. Voluit postmodum a Curione Mercuesiano oleo infirmorum ad supremam lucram fortiter cum inimico subeundam inungi sub qua inunctione ad preces omnes magna cum fide, et devotione respondit. Tum aliquantulum quietis ipsi indultum fuit, quod admodum debilis, et viribus pleno destitutus esset. Post hæc ei insinuavi, Illustrissimum nostrum Antistitem, ejus dignissimum successorem mihi scripsisse, ut suo nomine benedictionem illius postularem : mox is protracta e lecto manu plane tremula, eidem suaviter renitens bene precatus est, testatus, se non absque gaudio hoc sæculo migrare, quod a Deo talem Successorem, quem led desideraverat, obtinisset, quod alias sæpius nobis dixerat. Deinde instar alterius Jacobi Reverendissimo Patri Garato Cancellatæ Abbati, et universim omnibus Canonicis Regularibus sub sua Reformatione degentibus ceu filiis chariss-



mis suam benedictionem largitus est, quem ipsum favorem domino de la Serre Conques Generali Vicario, et officiali suo exhibuit, qui eundem submisit petiit, et posteaquam suum animi dolorem ex ejus e vita decessu testatus est, instanter illum rogavit, sui, suæque Dioceseos apud Deum in cœlis meminisse dignaretur, in quod sanctus Præsul ipsi pollicitus est, suaviter in eum intuens, suoque capite præbens annutum. Desideraverat etiam presentiam dominorum Canonicorum Capituli sui Cathedralis; verum nonnisi post ejus obitum Mercuesium advenant. Circa nonam antemeridianam eum plurimum deflere animadvertens signum Christi e cruce pendentes sumpsit, dixique felicissimum illud momentum imminere, in quo « Sacrificium consummandum esset; » utrum non mori vellet, quemadmodum in unione Ecclesiæ vixisset, et actus exercere cum primis in hora mortis necessarios; tunc moribundus manus protrahens, jungensque, et oculos cœlum versus attollens Symbolum Apostolicum integre, et distincte recitavit. Actus deinde Fidei, Spei, Charitatis, Adorationis et Contritionis elicit tanta cum devotione, ut omnium adstantium oculi lacrymas ubertim fuderint. His actibus completis illi crucifixum deosculandum, et adorandum obtulit; noluit vero ipse nisi extremæ solum pedis crucifixi parti osculum infingere, cum manibus prehensum conatus est ad se intra lectum assumere, dato signo, ut linteam attolleretur. Cum quæsitum fuisset, utrum crucifixum supra pectus collocare vellet, secundum respondit, hunc ipsisimum illum loco esse; re ipsa pectori suo impositum tam fortiter sibi adpressit, amplexusque fuit, quasi eum cordi suo imprimere vel cum ipso cruci affigi conciperet, ut cum S. Paulo dicere posset: « Christo confixus sum cruci: » voluit illum eum myrrhæ fasciculum inter ubera sua collocare, et inter brachia patientis Jesu mori; vel eum quodam epithemate adhibito, hoc pacto cordis sui corruptionem impedire; vel denique eum tutelam contra nostros in hora mortis aggressores adhibere. Suam ergo Dilectum ita penes se retinens petiit, ut sibi linteo facies obtegeretur, sicut quieti indulgere posset, quod uni jam Deo adhærere vellet: perseveravit in hoc statu horam circiter, nullum interea verbum eloquens, sub horam decimam dixit, se in meridie consummandum, quo se moriturum innuebat, modum

videlicet loquendi priscorum Thebaidis Religiosorum secutus; hi namque se tamquam hostias considerantes mortem suam consummationem appellabant, et si Deus aliquem advocaret, talem non mortuum, sed consummatum dicebant. Post hæc parum cum hominibus plurimum vero cum Deo egit: quando propius ad lectum accedebamus eum ipso collocuri, non aliud quam de Sacrificii sui consummatione respondebat: « Consummo Sacrificium meum, » aiebat: » consummo Sacrificium meum; vel potius Deus est, qui illud consummat; oportet ergo, ut illud consummare permittatur. » Rogatus fuit, ut aliqua documenta suggereret; ad quod respondit: « Non possum loqui, nisi quod Dominus posuerit in ore meo; » et utcumque urgeremus, hanc tamen alind responsum retulimus: numquam ne minimam displicentiam, vel inquietudinem præ se tulit. Pervens desiderium abeundi ad Deum, qui est unica felicitas, et perfectio Sanctorum, ei centrum eorum quietis; hæc ex ejus ore verba vitæ omnino postrema expressit: « Et quando liberabor de corpore mortis ejus? » atque mox agonem ingressus fuit, qui horæ quadrantem non excessit; sub quo oculos in cœlum continue fixos habebat: eodem tertiam tempore legi cœpta fuit Passio Dominica a S. Joanne Evangelista descripta, et eo momento, quo hæc verba prolata fuerunt: « Et inclinato capite tradidit spiritum: » suam etiam animam ipso omnino meridie Deo tradidit, nullo amplius signo alicujus motus edito, id quod ab omnibus, qui adstant, notatum fuit. *Vita*, l. II, c. xxii.

*Illustria Religiosorum meritorum exempla.*

Sanctus Antonius Religiosorum Fundator, cum jam quintum supra centesimum annum ageret, postquam inelyta sui nominis fama, et innumerabilium miraculorum gloria et eximia sanctitatis existimatione omnes orbis terrarum oras implesset, suisque eas donita carne, victa styge, debellataque hæresum impietate magnificis trophæis insignisset, Deo revelante didicit, adesse sibi metam laborum; suos igitur supremis allocutus verbis, ad omnigenæ studium virtutis

incitavit, monuitque cane pejus, et angue caverent familiares hæreticorum congressus esse nimirum juratos Jesu Christi hostes, et Catholicæ prædones veritatis. Hinc a duobus adstantibus, sine funebri pompa, loco nulli mortalium noto suas humari jussit exuvias, nempe veritus, ne quid eis honoris deferretur, Hinc et singulari cura cavet, ne post obitum suum, in Ægyptum referrentur, ne scilicet (quod erat Ægyptiis solemne) balsamo, et aromatibus condita, multis incorruptæ sæculis durarent. In hunc enim Ægypti morem vir sanctus acribus saepe verberis fuerat invecus, non dubia spe, de resurrecturi corporis sui gloria in œcumenica illa mortalium omnium anastasi reddenda securus. Eoque, quovis loco mortuus sepeliretur, nihil angebatur. Secundum hæc testamentum condidit, id est, pauculas, easque centunculatas pannucias in pauperes erogavit. Binæ vestes de caprarum textæ villis erant adhuc super cum cilicio. Quarum alteram S. Athanasio (a quo recentem dono pereperat, quæ eam pretiosissimi muneris instar asservavit) legavit: alteram Episcopo Serapioni: cilicium denique duobus discipulis. His ita compositis ad universum discipulorum cœtum conversus: Valete, inquit, viscera mea. Antonius enim migrat, etiam non erit in præsentem sæculo vobiscum. Hæc locutus, casta singulis oscula blande divisit, protensisque paululum pedibus imminens fati punctum lætus expectavit, ut ipsa vultus hilaritate colitum, qui animam ejus celo subvecturi descenderant, presentia facile agnosceretur. Hos comiter intuitus non quasi moriturus, sed migraturus placide in mortem consopitus, relictis mortalibus, ad cœlestia subvolavit. Corpus ejus perinde, ut si vivum foret integerrimum, pristinique tenax coloris, nihil corruptionis, nihil putoris, nihil gravis odoris spiravit. *RIBAD.*, 17 jan.

S. Benedictus eodem anno, quo decessurus erat, et in cœlum migraturus, ipse suum monachis obitum, diemque mortis indicavit; altum tamen præsentibus silentium indixit, et absentibus nuntiavit se suum eis obitum certis indicis temporis significaturum; cumque jam morte propius abesset, sex ante diebus recludi tumulum jussit. Hinc ardentibus cepit astuare febribus. Jamque sexto die appetente suæ certus mortis, morboque contextus in Ecclesiam sese jussit deferri. Hinc sacra Synaxi refectus

humeris Monachorum acclinatus, manibus, oculisque in cœlum sublati, una cum precibus animam benedictum Benedictus suo reddidit Creatori, quem tantum ille sua gloriæ propagatorem crearat. Simul vir sanctus expiravit, quidam Monachorum eum in cœlum vidit evolantem. Sanctus enim Maurus ejus discipulus in Galliis vidit stratam pallis atque innumeris coruscæ lampadibus viam, quæ recto Orientis tramite ab ejus conclavi in cœlum sese porrigebat, qui venerando clarus habitu vir assistens, cujus esset via, quam cerneret, percontatus est? Ille se nescire professus, audivit: « Hæc est via, qua dilectus Dominus Benedictus cœlum ascendit. » *IBID.*, 21 mart.

Sanctus Bernardus Abbas, cum jam esset affecta senecta fatigatus, exhaustisque voluntariis corporis afflictionibus, infirmitatibus, itineribus, et gravissimis (quibus toto vitæ decursu fuit obrutus) negotiis, cœlestis patriæ, summique boni facie ad faciem videndi desiderio inflammatus, denique periculosa stomachi debilitate fractus, nihil alimentum potuit retinere. Accessit eo dolor extremus, fedusque pedum tumor. Atque hæc corporis afflictiones tanta exproccata frontis hilaritate, tanta totius oris comitate vir sanctus exceptit, similis ut esse videretur navarchi, qui multas perpressus insani maris procellas, securo destinatoque sese portu propius adesse conspiciatur, et latatur. Ipsemet vir sanctus ad amicum Arnaldum Abbatem scribens, morbum suum significat in hæc verba: « Suscepimus charitatem vestram in charitate, et non in voluptate. Quæ enim voluptas, ubi totum sibi amaritudo vendicat. Nisi quod solum nihil comedere, utcumque delectabile est. Somnus recessit a me, ne vel beneficio sopiti sensus, dolor unquam recedat. Defectus stomachi, fere totum quod patior, est. Frequenter in die ac nocte exigiti confortari modico admodum qualemque liquore. Nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum, quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit, sed timet graviores, si se vacuum omnino dimiserit. Quod si pluscum interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes et crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet, et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorum hominem (ut minus sapiens dico)



spiritus promptus est in carne infirma : orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat; curate munire votis calcaneum nudum meritis, ut is, qui insidiatur, invenire non possit, unde figat dentem, ut vulnus infligat. » Hactenus S. Bernardus supremam suam recensens, describensque infirmitatem, collatamque a Deo tot inter corporis ærumnas, animi fortitudinem, et æquitatem. Cum jam morte propius abeset, ad eum certalim confluerunt Episcopi provinciales, multique Abbates, quos tanti Patris sui jacturam querentes ipse comiter solatus (ut erat modestissimus) ait, inutilem se esse servum; par esse, ut aliquando arbor sterilis eradicaretur. Denique inter suorum manus lacrymasque filiorum purissimam animam suo reddidit Creatori, 13 kal. sept. anno Christiano 1153, natus annos quatuor et sexaginta. *IBID.*, 20 aug.

S. Dominicus celebrato Bononiae altero Generali Conventu (qui fuit ei supremus) lethali correptus est infirmitate, qua se corporis ergastulo absolvendum, et ad cœlitates evocandum cognovit. Nam haud multo ante, cum pro solemnium suo precibus vacasset, apparuerat illi Dominus his eum verbis allocutus : « Veni, amice, veni vera gaudia possessurus. » Quibus ex verbis ut imminere sibi mortem perspexit, nequit conceptam animo lætitiâ dissimulare, quod abesse jam propius illa se meta sentiret, qua cum vita finiuntur ærumnæ. Quamobrem jussos adesce Cœnobii illius tyrones (quos non paucos ea domus numerabat) ex aggestis illis asseribus, quibus incubabat (nam lecto non utebatur) velut quodam suggestu comiter affatus, ad amorem Dei, cœpæque religionis vitæ perseverantiam adhortatus est. Hinc apud ejus Cœnobii Præsidentem totius vitæ peccata recensuit; dein senioribus domus in hæc verba valedixit : Filii et Fratres mei, quos animo impressos circumtulî semper, et porro quoque ferram, ne doleat discessu meo, nam fructus hic est contempni propter Deum mundi, sic posse decedere, sicut me decedere, videtis; quanto minus terræ nobis adhaserit, tanto melius fuerit, et ut æternæ vitæ potiamur, hujus est faciendi jactura. Ultima nunc imminet mihi vitæ linea; quamobrem pro vestro solatio majoreque Dei gloria secretum quoddam vobis communicabo. Hucusque pro sua mi-

sericordia Deus virgineam integritatem, quam ex utero matris accepi, servare mihi dignatus est illibatam. Porro quemadmodum effusa fuit adversus me Dei liberalitas, ita confidite, filii, eandem vobis non defuturam. Sed qui quæstum hunc vult, sumptum faciat oportet. Opus est huic thesauro servando vigiliis, precibus, et familiaris cum mulieribus congressus fuga. Nullus integritatem suam periculo committat; quævis occasio satis esse potest ad hanc corruptendam : nulla major est negligentia sine securitate, quæ propriæ aut alienæ virtutis confidentia fundatur. Venerabile, sanctumque castitatis nomen est instar vitæ, quæ facillime amittitur, nec ullo potest modo recuperari. Hinc eos ad amorem Dei, regularumque observantiam et Ordinis incrementum suavibus, ardentibus, et celestibus quodammodo verbis, tamquam verus pater a suis filiis avellendus, adhortatus, insuper preceps est, ut ad suorum fratrum jam defunctorum pedes sese sepelirent. Et vero quamvis arcanum de virgineâ integritate sua rectissimo fine, soliusque divini honoris, et filiorum suorum cautelæ causa, nullo vanæ gloriæ cupidine ductus, manifestasset, nihilominus hanc arcani sui revelationem sibi postea religioni duxit, acitque Cœnobii Præsidae, culpam fassus est hand aliter, ac si gravissimo crimine se impiasset. Tanta fuit ei conscientie puritas, et verborum cautela. Hinc cum sibi SS. Eucharistiæ viaticum, et Unionis extremæ Sacramentum petiisset afferri, utraque singulari pietatis affectu percepit, sic ut ipsemet Sacerdoti responderet, et cum Religiosis presentibus Psalmos pro solemnium Ecclesiæ ritu morituris dici solitos distincte pronuntiaret. Porro cum presentes ejus filii tenere lacrymas nequirent, etiam ipse ubertim flevit, et quam suos diligeret, significavit. Itaque eos consolatus, majusque ab se mortuo quam vivo præsidium expectare jussos Domino commendavit. Porro cum fratrum amorem, submissionem voluntariam, Evangelicamque pauperiem identidem inculcasset, jussit eos incipere officium, quod agonizantibus, et morti collectantibus recitari solet. Illis imperata Sancti Patris exsequentibus, sub illa verba : « Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi; » animus custodia corporis absolutus, ab Angelis est in cœlum ad

æternam quietem sublatus. Decessit vir sanctus feria sexta, anno Christiano 1221, 6 augusti, anno 51 ætatis suæ. *IBID.*, 4 aug.

Sanctus Franciscus Seraphicus multo antequam decederet, suam sibi mortem a Domino revelatam, tempus quoque mortis, et diem certam suis cœnobitis edixit. In ægritudine illa, quæ fuit illi suprema, se deferri jussit ad S. Mariam de Portiuncula, jamque moriturus, tamquam verus paupertatis amator, quo similis esset Christo, qui nudus in cruce mortuus est, totum se vestibus nudavit, seque humi prostravit, et ne forte stigma lateris videndum circumstantibus exhiberet, id manu sinistra texit. Tum vero omnes ubertim flere, suamque orbitatem lugere. Ad quos ille conversus ait : « Ego, quod meum est feci; quod vestrum, Christus edoceat. » Intellexit ea verba quidam de cœnobitis, quem vir sanctus Antistitem, sive guardianum suum vocitabat, arreptamque veterem lucernulam, tortumque funem viro sancto obtulit cum dicto : « Hæc tibi tamquam pauperi commodo, et tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato. » Incredibili lætitiâ vir sanctus gessit; ut vidit, se mendicantem mori, mendicatioque amicti morientium involvi. Quamobrem meritas Deo grates egit, et in virtute sanctæ obedientiæ suis imperavit, ut, simul ac sese mortuum jam sensissent, se tantisper nudum reliquerent, dum mille passus conficerentur. Secundum hæc suos ad amorem divinum, sanctamque pauperiem, penitentiam, mortemque pro fide S. Romanæ Ecclesiæ subeundam hortatus, commissis decussatim brachiis, presentibus et absentibus suis benedixit, et valedixit in hæc verba : « Valet filii omnes in timore Domini, et permanete in eo semper. Et quoniam futura tenetis, et tribulatio appropinquat, felices, qui perseverabunt in his quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero, cuius gratiæ vos omnes commendo. » Sibi effatus sibi prælegi jussit historiam Christi passî in Evangelio S. Joannis scriptam, cœplanque ab hisce verbis : « Ante diem festum Paschæ, etc. » Hisce prælectis ipse quoque modo potuit, illum Psalmum recitare cepit : « Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum, » totumque absolvit in hæc verba : « Me expectant justi, donec retribuas mihi. » In quæ verba suum reddidit spiritum Creatori, Sab-

bato 4 non. octobr. sub occasum solis, anno Christiano 1226, conversionis suæ 20, ætatis suæ 45. *IBID.*, 4 oct.

De eodem sic scribit S. Bonaventura : S. Franciscus Seraphicus cum gravissimis arderet corporis doloribus, nullum aliud habebat fontem eorum dolorum, quam ut et ipse divinas laudes caneret, et alios canentes audiret. In quo cum ab Elia pene objurgaretur, quod potius præstaret extremum illud tempus lacrymis, et penitentia impendere, respondit, non licere sibi aliter facere, cum secret, se brevi cum Deo fore. S. BONAV., in *Vita*.

S. Thomas Aquinas cum imminere jam mortis horam tantopere sibi desideratam persentiret, SS. Eucharistiæ Sacramentum sibi deferri rogavit, quod ille cernuus, humique prostratus adoravit, eundem presentem sibi Dominum preceps, ut, siquidem probe scripsisset, operam suam qualemcumque propitius acceptaret; sin, suæ veniam daret ignorantia, quod nunquam sibi propositum fuisset, vel unguem latum a divina declinare voluntate, eoque omnia sua scripta divinis ejus platis subjicere, Romanæ Ecclesiæ (cui et vivens olim, et nunc moriens morigerus esset) censenda submittere. Hinc Eucharistiæ viatico instructus, extremoque ad ultimam luctum oleo inunctus, cum quædam ejus cognata percontatum misisset, equid opus haberet : Nunc, inquit, nihil, sed paulo post omnium rerum desiderabilium copia affluam. Denique cum religiosus illis cœnobitis pro collatis in se beneficiis, officiosis hospitalitatis grates egisset, veniamque, quod eis ægritudine suo fuisset oneri, petiisset, et, ut mutuo se fraternoque amore complecterentur, rogasset, fixis in cœlum oculis, sublatisque manibus sereno pronus ore sanctam animam exhalavit nobis martii sub auroram, anno Christiano 1274, quinquaginta natus annos. *IBID.*, 7 mart.

S. Antonius Paduanus, ut se laboribus exhaustum, viresque voluntariis etiam pœnis jam fractas, et ægrum se denique pensensit, paululum quietis sibi capturus, seque æreus Deo uniturus, et morti (quam sibi sciebat imminere) sese preparaturus assumptis duobus comitibus, viris admodum religiosis, in solitudinem, locumque procul a multis tumultibus, ac arbitris remotum secessit. Hic cum corporeculi affecti languor quotidie auxisset, perceptis



Ecclesiæ Sacramentis, et alternatim cum Sodalibus, predictis septem Psalmis, quibus olim S. David penitens usus est, ipse solus Hymnum: « O gloriosa Domina, etc. » recitavit, invocavitque Deiparam Virginem, cujus favore meruit videre aspectabili, et amabili forma præsentem Christum, qui cum suaviter, semperque sui compos collocutus placidissime quasi consopitus sanctissimam animam in Dei manus edidit, qui ad tantam sui Nominis gloriam, et ad tantum totius Ecclesiæ suæ eam crearet emolumentum. Corpus velut in soporem solum, vivo perinde colore rubuit, ejusque artus omnes adeo visi mobiles, ac flexiles, ut vivere adhuc, et spirare censeretur. Decessit anno Christiano 1221, idibus junii, anno ætatis suæ sexto et trigesimo, quorum placidissima, apud suos parentes, undecim in Ordine Canonicorum Regularium sancti Augustini, decem denique in religiosa Franciscanorum Familia sanctissime exegit. *Ibid.*, 13 junii.

S. Franciscus de Paula Fundator Ordinis Minorum cum tres regulas suis Monachis viris æque ac virginibus, et tertiaris ab Apostolica itidem sede confirmatas præscripsisset, unum et nonaginta jam natus annos, simul exilii sui metam, et laborum palmam sensit adesse, feria quinta sanctioris hebdomadæ, quam plurimis suorum religiosorum, qui ad eum supremum salutatum convenerant, præsentibus in templum descendit, multisque lacrymarum imbribus irroratus, sacro Eucharistiæ viatico refectus, suos Religiosos comiter amplexus, eosque ad mutuum amorem, concordiam, submissionem, aliasque id genus virtutes cohortatus, et benedictione impertitus, proximo statim ejusdem hebdomadis sanctioris die, piissime aliquoties crucis effigiem exosculatus, cum dixisset: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, » sublatis in cælum manibus oculisque, sanctam animam suo reddidit Creatori, eadem hora, qua ipsemet Dominus pro nobis redimendis suam in æterni Patris manus ediderat. Obiit vir sanctus anno Christiano 1507, Turonis. Corpus ejus quamvis undecim dies inhumatum, adeo perstitit integrum, ut si adhuc animatum videretur, suavissimique odoris fragrantiam exhalavit. *Ibid.*, 2 april.

S. Nicolaus Tolentinus sex mensibus, antequam moreretur, Angelicam musicam

singulis noctibus audivit sub auroram, præscivitque suæ mortis horam, quam suis etiam fratribus prædixit. Quin et aegritudine correptus, crescentibus morbi doloribus eos ad se convocavit, suorumque erratorum veniam eos oravit, rogavitque cœnobitarum, ut se suorum peccatorum veniam, et Sacramentis impertiret. Atque hæc ille magno pietatis affectu multis lacrymis irroratus suscepit. Porro quoque petit afferi sibi crucem, cui Dominicæ particula crucis erat inclusa. Hanc cum magna submissione fuisset veneratus, Dominum oravit, ut suæ virtute crucis ab omni se periculo in agone mortis salvum atque incolumem præstaret. Gestiebat animus ejus incredibili lætitia, miroque tenebatur desiderio emigrandi de corporis ergastulo, Demumque videndi. Interrogatus a suis fratribus, cur ita gaudio gestiret ait: « Dominus meus Jesus Christus suæ Matri, et nostro Patri Augustino innitens, dicit mihi: Euge serve bone, et fidelis, intra in gaudium Domini tui. » Ille vero dicens hæc: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum » sublatis ad crucem manibus, et oculis mira tranquillitate reddidit animam suo Creatori 5 id. septemb. anno Christiano 1306. *Ibid.*, 8 sept.

S. Hilario Abbas in latrones lapsus cum interrogaretur, num mortem timeret, respondit: Mori non timet, qui semper mori paratus est. Ille octogesimo ætatis suæ anno ad Hesychium discipulum suum, quo ille vehementissime delectabatur quasi testamenti vice brevem manu propria scriptis epistolam, omnes divitias et suas derelinquens, Evangelium scilicet, et tunicam sacceam, cucullum et pallium. Venerunt ad ægotantem multi de Papho religiosi viri, et maxime, quod cum dixisse audirant, jam se ad Deum migraturum, et corporis vinculis liberandum. Quos omnes adjuravit, ut ne puncto quidem hora post mortem reservaretur, sed statim eum in eodem hortulo, terra operirent, sicut vestitus erat in tunica cilicina, cucullo et sago rustico. Jamque modicus calor tepebat in corpore, nec præter sensum quidquam vivi hominis supererat, et tamen apertis oculis loquebatur: « Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis servivisti Christo, et mortem times? » In hæc verba exhalavit spiritum, statimque humo obrutum, ante urbi sepul-

tum, quam mortuum nuntiaverunt. *Ibid.*, 21 oct.

Sanctus Bernardinus Senensis cum plebasque Italiæ urbes, et populos suæ doctrinæ radiis illustrasset, jamque laboribus exhaustus, et grandævus esset, concionandi tamen munus non omitebat (quia charitas ei suggererat vires, quas grandæva senectus ac debilitas minuebant), certus in regnum Neapolitanum transire atque hic Evangelii sementem facere, sicut in aliis Provinciis fecerat, Aquiliam Aprutiorum metropolim profectus, loco prædictæ civitatis propius disjuncto, ubi peramœnus erat fons, aegritudine correptus, sanctum Petrum Cælestinum (qui se summo Pontificatu abdicavit, et tamquam Patronus ejusdem civitatis colitur) aspectabili specie apparentem vidit, qui comiter eum, ut proximam suæ mortis horam fortiter exciperet, hortatus est. Hoc nuncio sanctus Bernardinus oppido exhilaratus est, quia dudum nihil magis optasset, quam discedere ex hac misera mortalitate, summoque illo bono frui. Quapropter Religiosos comites suos ad perfectam suæ regulæ observantiam hortatus, Sacramentis Ecclesiæ magno pietatis affectu perceptis, curavit humi se deponi tamquam germanum sancti Francisci filium, sublatisque oculis in cælum, lætari cœpit, et subridere suaviter, tamquam qui desideratum dudum portum portamque beatitudinis æternæ prospiceret, atque ita cum risu migravit in cælum, cum Deo regnaturus æternum, pridie Dominici Ascensus, sub vesperam 13 kal. junii anno 1444. *Ibid.*, 20 maii.

S. Arsenius cum quinque, et quinquaginta annos in ea solitudine, non ut mortaliu quispiam, sed ut Angelus cœlo demissus vixisset, exagissetque vigesimum, et centesimum ætatis annum, ab omnibus omnino morbis, quibus obnoxia esse grandæva senectus amat, liber, quamvis oppido debilis, multoque senio enervis, divinitus intellexit, se propediem ad cœlestem beatitudinem evocatum iri. Quod cum suis discipulis exposuisset, eosdem consolatus, et ad religiosæ perfectionis studium cohortatus oravit, ne cuiquam suum corpus donare honoris ergo, sed alligatum resti ad montem raperent. Tanta fuit ejus modestia. Porro cum jam morti propius adesset, timere cœpit, tremere, ubertimque flere. Quod ut discipulos advertit, dixere: « Et tu Pater, times

mortem? » Quibus ille: « Revera, inquit, nunquam hic metus, quo me oppressum cernitis, a me recessit, ex quo primum Christianæ militiæ ex animo nomen dedi. » Hæc effatus placide expiravit. *Ibid.*, 20 jul.

S. Hyacinthus Ordinis S. Dominici annis, sanctis operibus, meritisque cumulatus, miro videndi Domini, et hujus exilii adeo ærumnosi prolixique finiendi desiderio accensus, suam divinam Majestatem supplex oravit, ut sese mortalitatis hujus exilio educeret, et in patriam admitteret. Annuit oranti Dominus, eique revelavit ipso B. Virginis ad cœles absumptæ festo die (cujus solemnitate erat apprime devotus) ejus desiderio satisfactum iri. Quapropter postridie anniversariam, festamque S. Dominici memoriam ardentibus aestuare febrilibus cœpit, a quibus non respiravit, donec expiravit. Pridie Assumptæ in cælum Virginis solemnitate, ut se jam viribus defectum sensit, convocatis ad se senioribus Craociensis Cœnobii Religiosis commendavit eorum, quæ a S. Dominico dederat, eosque docuerat, observationem, mutuum benevolentiam, charitatem, comitatem, mansuetudinem, sanctam paupertatem, omniumque rerum deacuarum, fluxurumque oblivionem: Hoc namque est, inquietabat, æternæ vite testamentum, tutaque semita, quæ ducit ad beatitudinem. Sic effatus contieuit, et postero die, cum magno pietatis affectu canonicas preces Assumptæ Virginis solennes decantari audisset, perceptis Sacramentis, et oculis in cælum sublatis, tricesimum magno fervore psalmum recitavit, cujus initium est: « In te, Domine, speravi, » et simul ad hæc verba pervenit: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: » suum Domino reddidit, quem pro tanta sua gloria crearat, 17 kalend. septemb. anno Christiano 1207, ætatis suæ 74. *Ibid.*, 16 aug.

S. Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicatorum, cum persensceret, se propediem a Domino evocandum, idipsum suis sodalibus indicavit, quibus auctor fuit, ut quiescerent, neque divina voluntati repugnarent. Sic letus urbem lætantibus omnibus ingressus paucis post diebus graviter februit. Quare quamvis semper morti paratus esset, et omnis ejus vita, continua mortis meditatio fuisset, tamen cuidam Ordinis sui religioso Sacerdote, de suis peccatis, universim sigillatimque confessus, a Martino V,



Summo Pontifice, plenissima indulgentia est impertitus. Hinc Episcopo, Magistratui, Principibusque, civibus supremum vale dixit, eosque monuit, ut, quæ biennio ultimo publice docuisset, recordarentur, et exsequerentur. Sic enim cœlestibus a Domino favoribus cumulatum, suisque de cœlo precibus adjutum iri. Postea fores occludi jussit, ne a conferta multitudine, quæ percipiendæ benedictionis illius ergo, certatim confluxerat, pietas ejus, et pax, et animi quies impeditur. Deceverat enim supremos illos ægritudinis suæ dies in sui dilecti complexibus exigere, sicut et fecit. Nam velut extasin passus, in summi boni contemplatione defixus hæsit; illam suspirans Patriam, ad quam gigantæis adeo passibus festinarat. Denique fuis ubertim lacrymis, eximium pietatis affectum præferens, Sacramenta percipit, Christianique passi historiam ab Evangelistis conscriptam sibi prælegi, septem Psalmos Davidicos ad penitentiam pertinentes, itaque Litanias recitari curavit; postea incredibili corporis animæque lætitia, manibus oculisque in cœlum sublati, animam Deo reddidit, qui pro tanta sua gloria eam crearat, feria quarta, ante Dominicam Palmarum, anno P. C. N. clo. 468. *Idem*, 5 april.

*Illustria Clericorum sæcularium pie morientium exempla.*

S. Ephrem virtutum, magnorumque ple-nis meritorum simul ac sensit a Domino evocandum sese ex hoc mortalitatis exilio, ad beatam perennemque immortalitatem mirabilem illam scripsit exhortationem, quæ quia ab eo jam moriente composita fuit, dicitur testamentum Ephrem, in quo signate vetuit se pretiosis vestibus indui, sequæ lacernis jussit indutum sepeliri; quod si vero funeri suo pretiosas jam vestes aliquas præparatas haberent, jussit eas vendi, partumque pretium in pauperes erogari. Cum vero nobilis quidam potensque vir suæ pietati erga virum sanctum satisfactorius, pretiosum stragulum, quo corpus ejus involveretur, emisisset, ratus facturum se Deo gratius obsequium, si stragulo hoc viri sancti exuvias veneraretur, quam si pretium illius pauperibus impertiretur, oblectatus hæc in re desiderio, extremæque voluntati illius, mox eum cacodæmon invasit, vexavit, dila-

navitque, donec aditam culpam fassus, pedibusque ejus advolutus veniam poposuit. Unde vir sanctus miseri vices miseratus, ei manus imposuit monito, ut servaret, quæ erat pollicitus. Similiter vetuit honorationem suam corpus conditorio inferri, vel in Ecclesia, tamplove humari, sed in communi cum aliis peregrinis, pauperibusque cœmeterio sepeliri. Deinde circumstantes exhortatus ad amorem, sanctumque Domini timorem, omneque virtutis genus, animam suam reddidit Creatori, quam ad tantam gloriam procrearat. Decessit Imperatore Valente, et (teste Baronio) anno Christ. 378. Martyrologium Romanum meminit S. Ephrem kal. feb. Græci Menologio 3 kal. feb. Fuit Ephrem vir admirandus, divinus, a Deo singulariter illuminatus, et a sanctis Patribus admodum laudatus. S. Gregorius Nyssænus, qui res ab eo gestas condidit, eum comparat Abeli, Noemo, Abrahamo, Moysi, Samuëli, aliisque Prophetis, et Veteris Testamenti Sanctis. Eum quoque S. Basilii allegat, et ait, tanto remotior fuisse a sapientia mundi, quanto propior fuit cœlesti, S. Joannes Chrysostomus vocat magnum Ephremum desolatorum consolatorem, Duceumque penitentium. Theodoretus eum appellat virum mirabilem, et excellentissimum. S. Hieronymus ait, eum complura scripsisse opera idiomate suo Syriaco, tantæque existimationis fuisse, ut in aliquibus Ecclesiis post sacram Scripturam, ejus etiam scripta legerentur. Metaphrastes, Sosomenus, Necophorus, Callistus, aliique historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, inter quos S. Athanasius Synaita, Photius Patriarcha, Gregorius Cedrenus, et Theodorus Prodromus, de Sancto Ephremo disserunt, tamquam de viro sublimi, imo excellentissimo, et divino. Opera illius admodum spiritualia sunt, et in ipsis velut in clarissimo speculo S. Ephremi virtus, eloquentia singularis, alta præcepta, maximeque quidam spiritus cœlestis, supernus, suavis, et effæx (quo Dominus eum singulariter impertiverat) mirabiliter elucet. Hæc ejus opera sancti Patres, Græcique Sapientes adeo admirati sunt, ut illa ex idiomate Syriaco in Græcum converterint, et per divinam bonitatem ad nostra quoque sæcula sint propagata beneficio Gerardii Vossii Germani, qui hæc eadem opera collegit, et in idioma Latinum transtulit, doctissimisque illustrata notis Romæ typis excudit. *Idem*, 4 febr.

Venerabilis Beda cum feliciter vitæ suæ cursum consummasset, paulo ante anniversariam festamque Dominicæ Anastasis solemnitatem, cepit laborari omnis esculenti nausæa respirandique difficultate, quæ tenuit usque ad Ascensionem Domini, quamvis, ut erat fervidus, otique hostis, nec suas in choro canendi, nec suas in schola docendi vices omiserit, suis discipulis, cum dictaret, subinde dicere solitus illa S. Pauli verba: Horrendum est incidere in manus Dei viventis, quo scilicet eos excitaret ad Dei timorem; sed et alias iisdem dictabat: «Discite, quam potestis ocysime, quia nescio, quam diu sim vobiscum mansurus.» Cum gravissime eum morbus urgeret, illud divini codicis oraculum crebris sermonibus usurpabat: «Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.» Et illud S. Ambrosii: «Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.» Similiter eum vaticinium tradunt de suprema, quæ imminerebat, orbis Christiani calamitate, nisi flamma sopiretur, quæ cooperat accendi, quamque quibusdam Principibus sibi familiaribus indicavit. Ita paulo post ingruit horribilis illa tempesta a Saracenis, a quibus eversa, vastataque est Europa. Atque hoc suum vaticinium complexus esse fertur hoc versiculo: Regna ruent Romæ, ferro, flammaque, fameque. Denique cum supremam sibi mortis horam sensisset imminere, videndique sui Domini in gloria, eoque, qui vera est vita fruenti perenpidus, dum caneret: Gloria Patri et Filio, etc., spiritum Deo reddidit in anniversaria festaque Dominicæ Ascensionis solemnitate. *Idem*, 25 maii.

S. Philippus Nerius post varia medicamenta in morbo adhibita ad suos conversus, si alia, inquit, vobis medicamenta non suppetunt, manete, quippe quia cum morte jam luctari incipio; quibus dictis, ut sibi ipsi vacaret, conticuit. Verum quo plus supremis appropinquabat, hoc magis se mortem contemnero palam indicabat astantibus; super lectulum enim, ubi jacebat, quasi eum ad pugnam provocaret, sedentis instar allevat sese: duravit tandiu in eo habitu corporis, in quem se tum composuerat, donec spiritum exhalavit. Aderat jam Philippo suprema hora, cum Patres omnes accurrunt, et quem paulo ante vivum, atque incolumem reliquerant, pene mortuum præter opinionem offendunt: hinc lacrymæ

illico cunctis cadere incipiunt præ dolore, quasi pueris. Tanti viri jacturam, nullus erat, qui non lugeret; et quis morientem Philippum intuitus lacrymas tenere potuisset? qui sui ipsius oblitus, nihil amavit magis, quam alius prodese. Interea Patribus communem parentem insolabiter plorantibus, ejus animam Cæsar Baronius lacrymas precibus miscens, Deo Sanctisque de more commendat: quo peracto admonitus a medico, Philippo mortem instare, ad illum mox conversus: Heu tu, Pater mi? clamare cœpit: Quid causæ est, quod nobis nullum verbum dicis? Alloquatur, quæso, Pater filios, quos Christo tanto labore genuit: eripiat, rogo, filius tantum dolorem, aut minut saltem: ubi benedictionem filii tribuerit Pater, tum eorum minuet dolorem. His Philippus auditis, oculos confestim in cœlum tollens, aliquantulum oravit pro filiis: supplicatione completa, astantes intuitus quasi sua eos benedictione muniret, nullam passus vel minimam membrorum distorsionem, sine ullo molestiæ signo, ipsa jam morte, cujus cæteri vel nomen horret, fortior, placidissime efflavit animam, octavo kalendas junias: erat eo anno dies sacri Corporis Christi solemnitate celebris, intra horam sextam, ut prædictioni responderet eventus, anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quinto. *Vita*, fol. 413.

*Illustria Sæcularium SS. Laicorum pie morientium exempla.*

Philippus II, Hispaniæ rex, magnam Regem in vita, Christianum insignem in morte representavit. Multis morbis ac doloribus singulari eum patientia per vitam exantlatis, atque hos inter longævus podagra cruciatibus exercitatus fuit. Totum illa corpus perrepsit, ea cum carnis ac nervorum convulsione, ut neque admoventi tenuissimos pannos si sæpe passa, nec non singulariter afflicti delicatam complexionem oportuerit. Non fuit tamen audire lamentantem, non impatientem, non molestum inservientibus; quinimo solari eorumdem de sua molestia afflictionem, Deum identidem laudare, et divinæ se voluntati conformare. Erat sane istud agere gloriosius aliquid reportatis et bello victoriis, dititionibus in potestatem reductis, regnis Monarchiæ additis,



aut pari cum Alexandro fortuna mundo sibi subjugato. Quis dicendo pro dignitate exequatur fortitudinem, ac constantiam, qua vultu immoto, ne suspirans quidem, incisionem alterius genu admisit, et toleravit? Ægritudine confectus et fractus languoribus, non lacrymam misit, non significationem edidit sensus perculti; leniendo dumtaxat dolori postulavit, ut Confessarius elevata voce Dominicæ Passionis ex Evangelista Matthæo historiam legeret, signanterque verbis insisteret, quibus in horto Getsemani usus erat Salvator: « Non mea, sed tua voluntas fiat. » Expertus ab hoc consilio, et facto celeste præmium et conversus mox ad Confessarium profunda cum demissione monuit, ut gratias Deo referret: suppressa lætitiæ causa, ne in animis circumstantium aliqua sui exultatio proveniret; ita gloriam qua apud Deum fuerat illustri, Christianæ demissionis velo obtegens, ex ea virtute cæterarum basi, imo coronamento impulsus, animi magnitudinem, ac robur singulare moriens explicuit. Pluribus ante mortem diebus de imminente obitu factus certior nullo metu, aut tristitia, sed festivo, ac gaudenti abtuta nuntium accepit. Mox ad complectendum amicum hospitium pro dignitate se comparaturus, expiationem conscientiæ, quam diligentissimam, et frequentem præmisit. Diebus quinquagenis eodem situ supinus strato incubuit, virum lapsus, ac vi dolorum mutationem, et innovationem loci prohibentibus. Unum tunc Regis desiderium audiebatur, ut fiat Dei voluntas; una hæc cogitatio, ad bonam mortem comparatio. Accidit, ut e cubiculariis quidam lætior nuntiaret, iudicio medicorum ex eo morbo Philippum adhuc biennio superstitem fore. At Rex nihil ad ista animadvertens; cum mortuus, inquit, fuero, imaginem Deiparæ, quam videtis, quondam mææ matris donum, quam ego quinquaginta sex annis mecum de collo circumtulit, filiæ mææ date. Intentus in finem vitæ pie decurrendum, quæ ad eum facerent, quidque deinde suo corpori præstandum, sapienter ac provide præordinavit. Collo meo, inquit, cruculam ligneam a filo appendite, ut pectori insiat. Mori volo, crucifixum tenens manu, quo cum mortem obiit Carolus imperator progenitor meus. Adsunt ibi binæ candelæ ad aram divæ Virginis de Monte Serrato benedictæ, unam de iis habeto in promptu presentandam, cum opus fuerit;

sarcophagum, et sepulcrum ratione, quam edico, instruatis. Agens super negotiis animæ cum Confessario; Pater, aiebat, Dei apud me vices agis: promitto tibi, præstaturum me singula, quæ suggesteris, saluti mææ opportuna; per te stabit, si quidquam necessariorum abs me omittetur; ad universa paratum habes. Voluit ut Philippus filius adesset, cum Extrema Uctione erat inungendus. Hac expedita subdidit: Petii, ut interesses præsens huic functioni, ut inspicias, quo res humane fine terminetur. Tum sollicitè inculcavit, et iterato commo- nit, ut cordi unice haberet Religionem Christianam, defensionem fidei, et curam justitiæ: ut coatus omnes per tempus vivendi, ac regnandi eo dirigeret, ut, cum ipse quoque mortis articulo appropinquaret, securum in conscientia se experiat. Mandavit subinde, ut vulnera nudarentur, quæ ex morbi et curationum tractu acceperat. Ea filio commonstrans: Ecce, inquit, fili, quomodo a mundo et tempore Reges tractentur; ecce quam pariformiter ad cæteros homines mundi capita miseris subjaceant! Vide, quam severe, sed juste defectus meos, per quos minus, ut oportuit, Deo servi, ipse in me nunc vindictæ: nec adhuc scio, quid in futurum mecum disponat. Hinc velim ut concludas quid futurum sit iis, qui Deo negligentius parent. Tum Christi de cruce pendentes effigiem, et flagellum sanguine cruentatum protulit; et hoc signo, inquit, manus obarmatus diem obiit Carolus Imperator avus tuus, ut nunc ego Rex Catholicus; hoc idem in pignus salutis assumo, dum morior; non aliter ages fili, et reverenter, ut decet, semper habeabis imaginem Christi Salvatoris. Ita exemplo tibi Carolus, et ego prævimus; meritum tibi nobiscum commune exinde spera. Sanguis huic flagello aspersus, non est meus, sed Caroli Imperatoris, ac Domini mei. Tibi hunc asseravi, ut memineris nos præ cæteris indigere, ut simili modo sanguinem fundamus. Accipe donum, et pretiosarum Reliquiarum loco conserva, atque in pretio habe. Deo conjunctus vive, a quo tibi benedictionem opto, quam paterne et ego impertior. Simul benedictione amanter impertita Philippum dimisit, nec ultra vidit. Moriens, cæterum benedictum Deiparæ Monseratensis dextera tenuit, tam arte complexum, ut mortuo vix potuerit eripi. Diebus, quibus quinquagenus decubuit, dies

et quater Sacro epulo refectus fuit. Conversatio sub id tempus omnis de morte. Capi mensuram jussit feretri, quos elatus fuit Carolus; quo item anictu involutum sarcophago intulerit explorari, ut non dissimili apparatu concederetur. Funebria sibi alia instrui vetuit, quam quæ Religiosis Conventus S. Laurentii impenduntur. Mortem Regis omnis Christianitas luxit. EUS. NIERNBERG., *Virg. Coronata*, c. iv, § 1.

Fere consonant his, quæ de eodem Joann. Rho scripsit, quod scilicet approximante mortis hora, filio suo Philippo III ad se accersito, rejecta stragula veste, pectus reginarum olim curarum hospitium nobile tunc ebullientibus, ac stabulantibus pediculis horridum, ostendens, dixerit: Vide Princeps, quo tandem recidant utrinque solis divitiæ, et terrilo concussoque bellis veteri, novus orbis sub jugum missus. Morimur. Jo. Rho, l. V, c. iii, n. 6.

S. Stephanus Hungariæ Rex post filium amissum, ægritudine correptus, eaque paulatim fractus est adeo, ut insistere pedibus nequiret. Atque hinc sicarii aliquot arripuerunt ansam sese vindicandi, quod ab eo sese severius habitos existimarent. Itaque quatuor in ejus conspiravere Palatini, qui prius eum perimere decreverant, quam naturalis mortis defungeretur. Quapropter unus eorum vel maxime audax, sub primas ingressus vespere lænebras, antequam cubili Regio lumen inferretur, stricto ferro, quod pallio absconderat, parricidii certus, irrupit. Sed Dei, qui suos tuetur, nutu, simul pedem cubiculo intulit, gladius manibus ejus excidit. Rex tinnitu ferri cadentis excitus, percontatus est, quid sibi tinnitus ille portenderet. Tum vero sicarius metu propemodum exanimatus, Regisque vestigiis advolutus, et cur advenisset fassus, destinati parricidii veniam poposcit. Ille supplicii veniam impertitus, in reliquos conjuratos repente comprehensos capitalem tulit sententiam. Crescebat in dies infirmitas, unde prudenter vir sanctus colligebat ex hac valle mortalitatis ac meroris se propediem ad Regnum gloriosius evocatum iri. Quare cum magno pietatis affectu omnia SS. Sacramenta percipisset, ad se coactos Episcopos, Regniq. Dynastas, ut fidem Catholicam tuerentur, et justitiam moderarentur cohortatus, designato sibi successore, cum suis omnes singulari pietatis affectu Sacratissimæ Virgini Mariæ commendasset,

eamque supplex orasset, ut suum spiritum suo Filio offerre dignaretur, expiravit 18 kalend. septembris qui dies ut est Assumptæ B. Virginis in cælum festus, sic et eodem defungi summis ab ea precibus contendit, et impetravit. RUBAD., 20. aug.

Homobonus fuit in fundendis ad Deum precibus pius adeo, ut iis non tantummodo diei, sed plerumque etiam partem noctis impenderet. Semper matutinas preces adibat, tamque diligens quavis nocte ad Sancti Ægidii vigilabat ad eas audiendas, ut Parochus nomine Hubertus, simul Campanulam insonasset, subito ad reserandas Ecclesiæ valvas se proriperet, ut Homobonus admitteret. Idem virum sanctum reperit in templo sæpius orantem, quamvis ipse fores ei non reserasset. Nam cum maturius adveniens portam sensisset oculos, Deus eum miraculo pandebat. His atque id genus miraculis, et sua sanctitate multos convertit, etiam pertinacissimos hereticos, quos ad modum docti religioseque viri variis argumentis, ac rationibus incassum tentant. Denique anno Christiano 1197 cum pro suo solemnibus matutinis precibus interfuisset sanus et incolumis, secundum has fixis humi coram crucifixi Domini icone genibus in preces sese dedit, eoque corporis situ duravit usque ad Missæ Sacrificium, in quo cum Sacerdos hymnum, cujus initium est: « Gloria in excelsis, etc. » recitaret, ipse protensis et invicem commissis degressum brachiis nulla prævia ægritudine tentatus, nullo strepitu edito placidissime animam exhalavit id. novembr. In hunc modum mortuus est inventus, editaque per urbem mortis ejus fama, mox innumera concio ad eum videndum, venerandum, tangendum, pretiosarumque reliquiarum ejus quiddam referendum confluit. Porro multis lacrymis, et magno pietatis affectu fuit ad S. Ægidii humatus, ubi Dominus eum multis miraculis illustravit, claudis pedes, cæcis oculos, linguam mutis, aures surdis, salutemque ægris impertitus. *Idem*, 13 novembr.

S. Hubertus cum multa Monasteria, in quibus etiam ipse propriis manibus laboraret, fundasset, tandem optata dies affuit, quo Dominus eum exilio mortalitatis educere, et in patriam evocare destinaret. Cujus divini consilii præsciis, misit rogatum S. Antistitam Aldegundem, quo sibi linteam, quod suis iplea manibus concinnarat,



concederet suo funeri accommodatum. Antequam tabularum eodem destinatus fuisset appulsus, jam S. virgo celesti viso dedicat, qui S. Huberto esset futurum, moxque funebria ei lineæ destinavit, quibus exanime corpus ejus involveretur. Hæc vir sanctus vix accepit, cum spiritum in Dei manus edidit. Itaque his lineis involutus, perhorifice a suis discipulis ubertim collacrymantibus in sacello, quod ipse construxerat, humatus est. Centum quinquaginta annis ab ejus obitu, Abbas divinitus admonitus corpus ejus transtulit adeo recens, et integrum, ut eo primum die videretur expirasse, quod arabicos odores, et postana rosaria redolebat. Eadem lineæ, quibus exuvie sacræ fuerant involutæ, nihil tabis, nihil vetustatis contraxerant. Flores etiam herbaque, quibus sacrum funus fuerat aspersum, pristinum odorem, viroremque retinuerant haud aliter, ac si tunc primum decerpta fuissent. *lbid.*, 6 dec.

S. Elzearius ultima ægritudine correptus, dehinc nihil ulterius cum mortalibus fabulatus, gravissimos inter et continuos dolores, animum ad æquilibrium et spem debite sibi mercedis exstimulabat. Oblectabatur continua Christi Domini cruciatuum recordatione; quorum memorie assidue interpretes adesse sibi voluit. Multa etiam ex Davidicis carminibus memoriter decantans, illud in primis ex Psalm. xl. : « Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, etc. » Cum ad extremum certamen sacrosancto ceromate inungeretur, ad Divinæ Crucis mentionem dixit : « Hæc est sola spes mea; in hac emori certum est. » At cum jam ad duellum accessit, oris habitu terroris, horrosisque pleno esse cepit, quasi perquam difficili gravique sibi labore obiecto. Perstitit in hoc aspectu aliquantisper; cum repente exclamavit : « Magna est vis orci, sed eam Christi Jesu vis ex adverso longe valentior fregit, et obrivit. » Neque diu postea : « Plane vici. » Et denique : « Me totum æquitatis Divinæ judicio submitto. » Ac statim color, et suavitas oris ejus rediit, addita venustate, et splendore quodam. Atque sic exhaustis animam anno salutis 1323, 3 Kalend., octobr. cum ageret ann. 28 neque ulla postea mortalis species, aut pallor vultum ejus deformavit. *Vita*, c. xxxiv.

Audiamus Surium, his egregie concinentem, quando ita scribit : S. Elzearius

Comes illustris, sed vir sanctissimus, et qui cum uxore nobili perpetuam virginitatem coluit, in mortis articulo positus, jubebat, sibi Christi Domini passionem legi; lingua ejus a divinis non cessabat laudibus, crebro repetens illum versum : Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus : univsum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. Sumpto autem Dominico Sacramento, cum sacro oleo ungeretur, et versum illum diceret : « Per crucem et passionem tuam libera eum Domine; » ipse eundem tertio repetivit, et addidit : Hæc est spes mea, in hac volo mori. Ad extremum jam in agone positus, vultum præ se tulit valde terribilem, unde colligi liceret, eum in magno versari labore ob quadam illi obiecta; atque sub ejusmodi confictu exclamavit : Magna est dæmonum vis, sed eam penitus enervaverunt virtus et merita sacrosanctæ Incarnationis et passionis Jesu Christi. Et post paululum rursus exclamans : Plane, inquit, vici. Post aliquantulum temporis spatium cum ingenti clamore dixit : Totum me divino judicio committo. Atque his dictis reparatus est vultus ejus, et quodam rubore atque splendore, multaque elegantia perfusus, atque ita reddidit spiritum. *Sor.*, 47 dec.

Erat quidam sanctus Eremita, qui inter cæteras virtutes magnam habebat gratiam infirmis ministrare. Hic admonitus per visionem ivit ad proximam civitatem, et dum venisset ad portam, vidit quemadmodum horribilem infirmum, et foetidum, quem etiam leprosi inter se sustinere non valebant. Huic cum sanctus Eremita inservire cepisset, eum in Domino confortans, respondit infirmus : « Sit Deus altissimus benedictus, qui hanc mihi donavit infirmitatem. Sed timeo, ne Deus minuat mihi præmium in cælis propter tuum servitium humile. » Et ille : « Non est ita, sed pro mea mercede jussus sum huc venire. » Sic sancta lis quotidie inter eos oriebatur, et quanto plus Eremita serviebat, tanto plus servire affectabat, et infirmus eum servire non sinebat, ut plus sustinendo, plus præmiaretur. Tunc post annos quindecim expletos infirmus deosculari cepit manus Eremitæ, gratias eidem referens de pietate sibi impertita. Eremita autem rogabat Dominum, ut ostendere dignaretur, qualiter hæc anima sancta de corpore egredereetur. Et ostensum est. Cum enim ad horam novissimam devenisset, au-

divit vocem dicentem. « Veni dilecte mi. » Tunc illa felicissima anima ad omnes sensus corporis dicebat : « Vobis regratio, quia mihi obedistis. Oculi vanitatem non audistis; concupivistis; aures vanitatem non audistis; manus in deliciis delectatæ non fuistis : pedes ad vana non cucurrastis; olfactus delicias contempsistis; gustus aliquid delicate non edisti. Tu igitur, o corpus mecum in pace quiesce, ut tempore opportuno recipias pro labore æternam remunerationem. » Et hoc dicto, cum conventu Angelorum sancta anima evolavit ad cælum. *Spe. ex., Infirmas*, ex 49.

In ea porticu, quæ euntibus ad Ecclesiam B. Clementis est pervia, fuit, quidam Servulus nomine, quem multi vestrum mecum noverunt, ait sanctus Gregorius, rebus pauper, meritis dives, quem longa ægritudo dissolverat. Nam a primæva ætate usque ad finem vite paralyticus jacebat. Quid dicam, quia stare non potuerat, qui nunquam in lecto suo surgere, vel ad sedendum valebat, nunquam manum suam ad os ducere, nunquam se potuit in latus aliud declinare. Huic ad servitium mater cum fratre aderat, et quidquid ex elemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus, pauperibus erogabat. Nequaquam litteras noverat, sed scripturæ sacræ sibi codices emerat, et Religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se legere sine intermissione faciebat. Factumque est, ut, quantum ad mensuram propriam attinet, plene sacram Scripturam disceret, cum sicut dixi, litteras funditus ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere hymnis Deo, ac laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cum jam tempus esset, ut tanta ejus patientia remnerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediit. Cumque se jam morti proximum agnovit, peregrinos viros, atque in hospitalitate susceptos admonuit, ut surgerent, et pro expectatione exitus sui cum eo psalmos decantarent. Cumque cum eis et ipse moriens psalleret, voces psallentium repente percipuit cum terrore magni clamoris dicens : « Tacete, numquid non auditis, quante resonent laudes in cælo? » Cumque ad easdem laudes, quas intus audierat, aures cordis intenderet, sancta illa anima a carne soluta est. Sed exante illa tanta illic odoris fragrantia aspersa est, ut omnes illi, quia derant, inæstimabili suavitate replerentur, ita ut per hoc patenter

agnoscerent, quod eam laudes, quas audierat, in cælo suscepissent. *RIBADEN.*, 23 decembr.

Dom. Joannes de Vilela majorum in Aragona Sancti Jacobi Equitum Commendator, post plurima et maxima magnificæ pietatis officia, hoc etiam perfusus lumine, et morientes præcipuo juvaret studio, in lectulo mortuali stituit ut pro Biscaia patria sua tota, suis impensis quasi pro testamento morientibus omnibus a se moriente relicto, imprimeretur praxis quædam juvandi ægros ad bene moriendum, et per omnem Biscaiam ad suas rationes distraheretur, ut omnibus ad manum esset. Ad videamus, qui adeo sollicitus de moribundis fuit, qualis ipse fuerit in agone, quale pretium tulerit operæ adeo pretiosæ. Primum generali vitam omnem exomolavit ad exemplum Sancti Dominici expiavit, et quod illa testatur, et nos ipsius praxis verbis latius referemus, frequentissima se confessione parabat ultimo tribunali Dei. Deinde celesti quadam exundantis lætitiæ suavitate delibutus, in illa conscientie serenitate, quasi sudo cælo in aprico exultabat, quod per dolores venientem mortem pensentisceret. Absorptus esse in illis mille lætitiis dolorum sensus; neque sapiebat audire quidquam, quod cælum non saperet. In sacrosancto Viatico, et suprema sacri ceromatis unctione spem ultimam reponerat: ideoque non ultimo expectato illo, et conclamato animæ se e mundo jam propripientis articulo, mature particeps esse voluit utriusque: hoc tantum, sed brevi tunc morore nonnihil subvertitus, ne quia melius sibi et in corpore, et in animo esse susceptis illis Sacramentis manifeste sentiebat, iterum convalesceret, et invitus desereretur in vita. Evidentibus æternæ salutis pignorum cumulatam aiant, qui mortali adfluere. Quo a morte propius aberat, eo magis liquida mortem exoptantis animi dulcedine ibat in jubulum. Ultimam illi vite triduum totum inquisivisse altis et sanctis mori desiderantium Sanctorum suspiriis atque lætitiis fluxit. Hausta è Christo fiducia non timere se, aiebat, agonem mortis : imo ex omnium jucundissimarum quas unquam habuisset, horarum cumulo sibi esse unam eamque jucundissimam eam, quæ ultima esset vite, seu mortis, horarum. Regio Confessario et alteri cuidam, e Primoribus viro, interrogantibus, qui valeret : « Expecto, inquit, alacer, donec veniat immutatio



mea. » Vitæ spem oggerentibus respondit, se mortem electurum, tametsi anni adhuc sibi offerrentur, et publicis officiorum, et a privatis morborum perturbationibus liberi, et omnibus, quæ quidem excogitari possent deliciarum ac recreationum commoditatibus affluentem. Solebat dicere, nunc demum se penetrasse ad suavem fundum celestis illius dicti : « Melior est misericordia tua super vitas ! » Quotquot vitas haberet mundus, meliorem esse plenam vitæ æternitate misericordiam Dei super omnes vitas. His effusæ in Deum mentis affectibus intermicabant selecta quædam ad cœlitum Reginam, et omnem beatorum regiam, Angelosque suspiria, pretiosa cordis contriti, et Deo plene immolati sacrificia, et holocausta, indulgentiarum usus diligens, et quidquid demum utile esse videret ad optime consecutus est anno 1630, 3 januarii, magno spei precipue argumento illos demum felicissime emori, qui morientium auxilio sese omni, qua possunt, opes operaque impendunt.

NADASI, *Hebr.*, xl.

Rogerus in Annalibus Anglorum de Henrico II Rege insigniter penitente ait : Qui cum sensisset mortem sibi imminere, convocatis Episcopis, et viris religiosis primum secreto, deia coram omnibus sua peccata confessus est, et suorum peccatorum absolutionem accepit. Deinde depositis mollioribus indumentis cilicium induit, et ligato fune in collo suo, dixit Episcopis, ac ceteris Religiosis : « Trado me peccatorem indignum, culpabilem, per funem istum vobis Ministris Dei, postulans ut Dominus noster, qui latroni in cruce confitentis peccata dimisit, per preces vestras, et suam ineffabilem misericordiam misereatur infelicissimæ animæ meæ ; » et responderunt omnes : « Amen. » Et ipse ait illis : Trahite me e lecto isto, per hunc funem, et imponite lecto illi cinereo : et fecerunt sicut præcepit illis ; et apposerunt capiti et pedibus ejus duos lapides magnos quadratos. Et omnibus rite peractis præcepit suum corpus deferri in Northmanniam Rothomagum usque. Et his dictis ipse SS. Viatico munitus in timore Domini emisit spiritum.

Ferdinandus Rex Castellæ advertens diem mortis adesse, die S. Nativitatis Domini Missam cantari præcepit, sub qua et communicavit. Sequenti die vocans ad se Episcopos et Abbates, in templum se deferri jussit, regio cultu et ornatu indutum, ibique fixis

genibus, Deum universi Dominum confessus, regnum suum, quod administraverat, reddidit : tum chlamidem regalem exuens, et coronam deponens, cilicio indui, cineremque conspergi voluit, et sic post duos dies inter manus Episcoporum spiritum Deo reddidit. BARON., tom. XI, ad an. 1603.

Joannes Rex Aragonum ex hac vita migraturus, cum mortis metu lacrymas solveret, fusc ad allicos perorans ostendit, nihil sibi regnum, nihil honores profuisse, sanctiusque se victurum fuisse, si non Rex, sed agricola fuisset. Demum ad Christum Crucifixum conversus, inter pia suspiria expiravit.

Juvenis quidam Dux Lotharingæ cum esset in extremis, respiciens domos suas et castra dicebat : O Domine Deus, quantum contemnendus est iste mundus, quando ego qui tot habeo castra et palatia, et tot potui hospitare, nescio quo adhuc in nocte ista debeo ire, aut apud quos hospitari ! BELLOV., *Spec. mor.*, p. I, l. II, dist. IV.

Rex Franciæ laborans ad mortem, et desperatus a medicis, et positus in cinerem, vocavit omnes adstantes, dicens : Ecce ego, quia ditissimus eram, nobilissimus de mundo pro omnibus divitiis meis, et potentia, et amicis non possum extorquere e morte inducias ab infirmitate per unicum horam. Quid ergo valent ista omnia ? Et hoc dicens, omnes audientes concitavit ad fletum. BELLOV., *Spec. moral.*, dist. III.

Ludovicus Quintus Gallorum Rex cum ingentibus copiis ad recuperandam Jerusalem profectus, parte jam regionis illius occupata, febris morbo interceptus, nequivit præstare quod promiserat ; dum autem agrotaret, non in fericis, sed in cinere jacere voluit, et extensis ad instar Crucifixi manibus animam efflavit. Sic humiliatus regnum deseruit terrenum, et cum Christo regnare cepit in celo. MARUL., lib. V.

De Gerardo fratre suo testatur D. Bernardus, quod media nocte moribundus in illam ex psalmo vocem eruperit : Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelis. Ps. cxlviii. Jam tibi, inquit, frater mi, nocte adhuc media diescebat : nox sicut dies illuminabatur : Accitus ego sum ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, insultantem morti. Ubi est mors, victoria tua ? Ubi est mors, stimulus tuus ? jam non est stimulus sed jubilus. Jam cantando moritur homo, et moriendo cantat. BERN., s. 26, in *Cant.*

*Illustria mulierum pie morientium exempla.*

S. Magdalena post expletos triginta annos ipsamet quendam Sacerdotem rogavit, ut adiret S. Maximum, suoque ei nomine diceret, ut sequenti Dominica sub auroram solus in templo compareret. Paruit sanctus Episcopus, et Magdalenam in aere pendulam sublatis in cœlum manibus precibus tentam reperit. Hæc magno pietatis affectu fuis ubertim lacrymis S. Synaxin percepit, et haud multo post suum spiritum in amantissimi Sponsi, suique Magistri manus edidit quem suorum peccatorum causa senserat olim suum in cruce celesti Patri commendasse. Sanctissimam ejus animam cœles in cœlum festivis plausibus et jubilis sustulere ; corpus eodem loco conditum, et honorifice semper fuit habitum. RIBAD., 22 jul.

De S. Marthæ morte sic scribit citatus auctor : Simul illud tempus advenit, quo Dominus hinc evocatum celesti præmio donare decrevit, uno anno prius, quam decederet, felicem vitæ finem ei prænuñciavit voluitque anno toto prius eam febribus decoqui. Sed octo diebus antequam moreretur suavissimam in cœlo musicam, cantantesque audivit Angelos, a quibus anima Magdalene sororis ejus in cœlum fuit sublata, quæ etiam ipsa ad Martham cum Christo apparens, invisit, et ab hoc audiit : Veni hospita mea dilectissima, quemadmodum tu quondam tua me domo recepisti, sic ego te recipiam in cœlestem domum meam. Hinc in pavementum cineribus aspersum, impluviumque, e quo cœlum contemplari posset, voluit deponi. Sic depositæ petenti, manuque crucem præferenti, sacra Domini passi historia, quam S. Lucas conscripsit, est prælecta. Simul ad verba ventum : « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum : » ipsa quoque suum Domino reddidit. Ait præterea S. Antonius S. Frontino Petragoricensi Episcopo (quem Petrus Apostolus Petragoricum Antistitem præfecerat) sacra Missarum solemniam operanti Angelum apparuisse, et ut ad exequias S. Marthæ properaret, imperasse. Itaque Tarasium cœlesti vi translatum, morienti affinis, ipsumque Christum funebres ejus exequias celebrasse. Sic Deus honorat honorantes se ; sic invicem sibi præstita obsequia reponit. IBD., 29 jul.

De S. Petronillæ singulari pulchritudine cum quidam Flaccus homo nobilis, ac potens forte rescisset, tanto ejus in matrimonium accipiendæ certus, eamdem magno militum præsidio obvallatus, convenit, sui que adventus causam recensere. Cui illa : Equid opus armis, Flacce, ad imbellem mulierculam debellandam ? Animi puellam non expugnantur armis, sed donis ; non terrore subjunguntur, sed amore. Quod si me vis uxorem, tridui inducias concede, ut ad nuptias me comparem. Elapso triduo nobiles mihi mitte matronas ac virgines, quæ me solemnium pompa (quemadmodum tuam decet nobilitatem) tuas in ædes deducant. Placatus hisce Flaccus, ita se facturum recepit. Verumtamen S. Virgo, quæ perpetuam Christo virginitatem dedicarat, tridui inducias precibus, jejuniisque impendit cœlestem enixe precatam Sponsam, ne suam periclitari sineret integritatem, solius ejus amori dicatam tamque sollicite hucusque sibi conservatam. Jam induciarum dies abierat, cum solemnium pompa (quemadmodum tuam decet nobilitatem) tuas in ædes deducant. Placatus hisce Flaccus, ita se facturum recepit. Verumtamen S. Virgo, quæ perpetuam Christo virginitatem dedicarat, tridui inducias precibus, jejuniisque impendit cœlestem enixe precatam Sponsam, ne suam periclitari sineret integritatem, solius ejus amori dicatam tamque sollicite hucusque sibi conservatam. Jam induciarum dies abierat, cum solemnium pompa in Basilicam Principis Apostolorum Petri translatum, Paulo hujusce nominis primo Ecclesiam moderante. IBD., 30 maii.

S. Maria Egyptiaca cum a Zosimo, qui eam in solitudine SS. Eucharistia epulo refoederat petiisset, ut sequenti anno iterum rediret, ille constituto tempore revertens, et ad locum, ubi prius eam viderat, progressus, nonnullos inde radios solis instar splendidos emicare sensit ; quos, ut propius accessit, sanctam jam defunctam, corpus ejus humistratum, modesteque versus orientem compositum vidit, cum verbis his in arena exaratis : « Sepeli, Abba Zosime, misere Mariæ corpusculum. Redde terræ, quod suum est, et pulveri adijce pulverem. Ora tamen Dominum pro me transeunte 5 id. aprilis, nocte salutiferæ potionis post divinæ et



sacrae cœnæ communionem. » Ex his caracteribus Zosimus collegit nomen sanctæ fuisse Maria, eamque anno præterito, una hora post acceptam Eucharistiam, eo loci devenisse, quem ipse diebus omnino viginti vix adisset. Dein accessit sacrum corpus, pedesque ejus reverenter osculatus, Officium Defunctorum, ut vocant, pone recitavit, eique solemnibus Ecclesiæ Psalmis et hymnis parentavit. Cumque nesciret, quemadmodum sacrum corpus humaret, mox accurrentem ferocissimum leonem sanctæ pedes lambentem vidit, quem sibi tanquam pollinctorem submissum divinitus intellexit, ut effodiendo tumulo operam navaret. Itaque signo crucis armatus leoni præcepit humum pedibus eruere, fossamque effodere humani corporis capacem. Getula bellua sancti viri jussibus obsecuta cavum satis capax effodit, in quod Zosimus sacrum thesaurum deposuit, eique vetus illud pallium, quod olim ei præbuerat quo suam tegeter nuditatem, abstulit, sibi-que tanquam sacras illius Sanctæ penitentis reliquias asservavit. Cæterum leo sacrum corpus humo obruit, suoque perfunctus officio mitis instar agni discessit, et suum ad monasterium Zosimus reversus miracula divina prædicavit, suisque cœnobitis quid sibi contigisset, enarravit. Illi rebus enarratis obstupefacti, Deo, qui suis in Sanctis mirabilia operatur, grates et S. Mariæ Ægyptiacæ anniversariam, festamque memoriam egerunt. *Idem.*, 2 april.

S. Clara vixit in suo monasterio duos et quadraginta totos annos, idque admirabili vitæ sanctimonia rexit, sed eximiam omnino suis virtutibus quasi coronidem adjunxit patientiam atque lætitiā, mediis et atrocibus in doloribus ægritudinis, quæ Sanctam virginem octo et viginti annis exercuit. Nam quamvis extremos plane cruciatus perpessa sit, tamen ejus serenitatem vultus nulla tristitia obnubilavit, nullus querulas voces ulla, aut ulla suspiria dolor expressit. Nimirum Dominus eam tanquam sponsam probabat, et celestibus solatiis cumulabat. Aliquando cum septem, decemque totos dies omnino jejuna durasset, omnes sese invisentes animavit, et iis invicem, Spiritum, quo illa abundabat communicavit. Auserat interea morbi vis adeo, ut imminere sibi supremum non dubitaret diem totis sibi votis exoptatum; quo nempe corporeis expediti vinculis, et in celestis Sponsi complexus subvolare gestiebat. Ac-

cepit de Provincialis Ministri manu Dominum, Sacramenti specie velatum, quem videre desiderabat in patria revelatum. Eodem die Innocentius Papa nominis hujusce quartus fama sanctitatis ejus excitus eademdem visitavit, suaque benedictione plenaque indulgentia impertivit. Quamobrem miris illa gaudiis in Domino gestire visa, convocatas ad se Religiosas filias suas oravit, ut in agendis Deo gratis sociam sibi navarent operam, quod et Sacrosancto Domini sui corpore refecta fuisset, et ejusdem Domini sui supremum in terris Vicarius ad se invisere fuisset dignatus. Erat inter alias Monachas Agnes, S. Claræ germana soror, quæ cum sorori, suæque in Christo matri morturæ præsens adesset, multis lacrymis oravit, ne se relinqueret in terris, sed in cœlum profectura se comitem assumeret, quando adeo inanimem in communis Domini obsequio convixissent. Sic orantem consolata negavit esse Domini voluntatem, ut jam se comitaretur, neque tamen ambigeret præcipientem brevi subsecuturam. Vaticinium id subsecuta haud multo post Agnetis mors comprobavit. Interea circumfusæ filiæ ejus omnes jam jamque morienti suæ parenti fusis ubertim lacrymis parentabant, et illa desolatas blando sermone consolata ad omnium virtutum, in primis studium humilitatis, sanctæque paupertatis animabat. Hinc ad suammet animam conversa, in eam verbis affata est: « Vade secura, quia bonum habes itineris conductum: vade quoniam, qui te creavit, sanctificavit, et custodiens te semper, velut mater filiam, tenero amore dilexit. » Mox ad Dominum conversa: « Tu, inquit, Domine benedictus sis, qui me creasti. » Interrogata, cuinam colloqueretur, comiter ait: « Colloquor animæ meæ, quam prævenit Dominus in benedictionibus dulcedinis suæ. » Ad emorientem Dominus, et Deipara Maria multis candidatarum, auroque coronatarum Virginum choris circumdata invisit. Atque hisce celestibus innudata favoribus cum Dominicæ passionis historiam prælegi sibi jussisset, sanctam animam edidit in manus sui Creatoris, et cilicium, cinerem penitentiae, labores, lacrumamque mortalitatis cum stola immortalitatis, et paupertatis ærumnas cum sempiterna beatitate commulavit. *Idem.*, t2 august.

Sancta Catharina Senensis, cum tres et triginta complexset annos, vitamque duxit

set virtute plenissimam, et Christianæ reipublicæ utilissimam, incredibili successa videnti cœlestis Sponsi desiderio defecit, in lectulum viribus defecta decidit, singulari pietatis affectu Sacramenta percepit, coactas ad se spirituales filias, sociasque suas monuit, ut toto amoris affectu in solum Christum ferrentur, nullis rerum mortalium tricis intricarentur, nihil de proximis unquam mali suspicarentur; itaque veniam socias, si forte quampiam offendisset, precatâ, plenam suscepit indulgentiam a Summis Pontificibus Gregorio XI et Urbano VI, sibi liberaliter impertitam. Cæterum diu morti collectata, generosissime stygi conflixit, quam non modo vivens, sed et moriens gloriosissime triumphavit. Hoc in agone mortis, eam quoque stygius accusator arguit vanæ gloriæ. Cui Virgo: « Quid? vana gloria? Apage sis. Nunquam hæc obrepit, semper curæ mihi fuit sola, veræque Dei gloria. » Hoc agone perfuncta, mox ad preces conversa, celestemque Sponsum suum suaviter alloecuta, simul dixit: « In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum; » ad celestes evolavit tertio kalend. maii, anno a partu Virginis 1380. *Idem.*, 30 april.

De S. Paulæ morte piissima sic scribit S. Hieronymus: Sentiebat prudentissima feminarum adesse mortem, et frigente aliqua parte corporis, atque membrorum, solum animæ teporem in sacro pectore palpitare, et nihilominus quasi ad suos pergeret, alienosque desereret, illos versiculos usurpabat: « Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. » Et: « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. » Et: « Elegi abjecta esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. » Cumque interrogaretur a S. Hieronymo, cur taceret, cur nollet repondere, an doleat aliquid? græco sermone respondit, nihil se habere molestiæ, sed omnia quiete et tranquille perspicere. Post hæc obmutuit, et clausis oculis quasi mortalia despiceret, usque ad expirationem animæ eosdem depetebat versiculos, ut, quod dicebat, vix audiri posset, digittumque ad os tenens, crucis signum pingebat in labiis. Defecerat spiritus, et anhelabat in mortem, animaque crumpere gestiens ipsum stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini convertebat. Aderant

Hierosolymarum, et aliarum urbium Episcopi, et Sacerdotum inferioris gradus, ac Levitarum innumerabilis multitudo. Omne Monasterium Virginum, et Monachorum chori repleverant. Stamineque ut auditum Sponsum vocantem: « Surge, veni proxima mea, vociosa mea, columba mea; quoniam ecce hyems transit, et recessit, pluvia abiit. » Læta respondit: « Credo videre bona Domini in terra viventium. » Ex hinc non ululatus, non planctus, ut inter sæculi homines fieri solet, sed Psalmorum linguas diversis examina concrepabant. Cæterum illa implevit cursum suum, fidemque servavit, et nunc fruitur corona justitiæ, sequiturque Agnum, quocumque vadit. Saturata, quæ esurivit, et læta decantat: « Sicut audivimus, ita vidimus in civitate Domini virtutum in civitate Dei nostri. » O beata rerum commutato! flevit, ut semper rideret, desepit lacus contritos, ut frontem Domini reperiret; vestitia cilicio est, ut nunc albis vestimentis uteretur, et diceret: « Scidisti saccum meum, et circumdediti me lætitia. Cinerem sicut panem manducabam; et potionem suam cum fletu miscibat, » dicens: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; » ut in æternum pane vesceretur Angelorum, et caneret: « Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. » *Idem.*, 26 jun.

Sancta Lydvina mortem suam divinitus intellexit, ad quam quo melius se compararet, ab omnibus notis veniam demisse flagitavit; si qua forte eis offensiculo fuisset. Ita cum solemnibus Paschæ dies illuxisset, Christum, Christiparamque, Apostolis aliisque cœlitibus cinctos, in suo cubili vidit. Hic eam Dominus consolatus, adeo pretiosus et fragrantibus unguentis unxit, ut etiam postredie odoribus omnino celestibus fragraret. Tertio secundum Pascha die circumstantes, ut secederent, seque solam cum puerulo cognato relinquerent, oravit; sicque cum totam se celestium rerum commendationi dedisset, Christo piissime colloecata, vehementissimos omnino dolores pensit, in primis a luculenta pectoris plaga, qui sic eam affectit, ut cum vomitu fellis particulas ejetaret. Secundum hæc aliæque personæ, quibus illa singulariter erat curæ, cum Presbytero, qui erat et a sacris Confessionibus, a puerulo advocatæ, conclaves subeuntes, eam jam defunctam, asperoque cilicio (quod nunc energumenis liberandis